
IOANNES BROSCIVS CVRZELOVIENSIS,

Ordinarius Aſtrologus, Lectori S.

SOlis & Lunæ defectus res eſt, quemadmodum ait Plinius lib: 1. cap: x. in tota naturæ contemplatione maximè mira, & oſtento ſimilis. Quis enim non miretur, clariſſima mundi lumina tenebris inuolui? Attamẽ hæ TENEBRÆ (ait KEPLERVS) ſunt Aſtrologorum OCVLI: hi defectus doctrinæ ſunt ABVNDANTIA: hi NÆVI, mentes mortalium precioſiſſimis PICTVRIS illuſtrant. Accedat huc Anaximander, qui Solem terræ æqualem, Lunam decies & nouies terra maiorem ſtatuit. Accedat Parmenides æqualem in Luna atq; Sole ſtatuens magnitudinem. Accedat qui Solem tantum quantus videtur aſſerit Epicurus: vel Epicuri gregales: lucem veritatis illorum mentibus hæ tenebræ dabunt. Quis verò inde non concludat, certa lege ferri ſidera, non caſu, quod voluptatis magiſter aſſeruit? Conuincetur hîc temeritas Diagoræ, negantis eſſe ſummum iſtius machinæ Architectum? Ecce ſtupet Romanus miles, dũ cauſas tanti miraculi pandit Sulpitius. Ecce Iamaicenſes barbari implentur formidine, & nouarum terrarum repertori Columbo parent, hoc ſpectaculo moti. Mouebantur & veteres, cauſas eclipſium ignorantes, quorum ſuperſtitio fuit, Luna langueſcente æris ſono, tubarum cornuumq; concẽtu ſtrepere, & vociferari; quaſi laboranti Lunæ ſtrepitus & vociferatio ſubueniret. tamq; iſtud frequens fuit, vt Iuuenalis de garrula & ſtrepera ſexus fæminei loquacitate facetè dixerit: Verborum tanta cadit vis: Tot pariter pelues & tintinnabula dicas Pulſari: iam nemo tubas atq; æra fatiget; Vna laboranti poterit ſuccurrere Lunæ. Nos non cornua, non tubas, non æra ſumamus; veterum iſta ſuperſtitio pereat; ſed agnoſcentes Deum in operibus eius, conſideremus has tenebras, hos defectus, hos næuos, quibus noſtræ mentes, Dei ſimulachra, inuitantur ad contemplandum ſummi artificis opus admirabili arte conſtructum. Vel inde cognoſcemus veriſſimum Platonis dictum eſſe: GRATAM DE DEO FAMAM IN ARTIBVS SPARSAM ESSE. Offert ſe nunc occaſio nocte præcedente diem 27. Auguſti. Luna vmbra terræ inuoluetur. Magnitudinis vmbræ ad Lunam, vt ex Tychonis noſtri ſæculi Hipparchi calculo apparuit, hæc proportio, hic typus eſto.



Luna perigæa erit in Piſcium gradu 3. ſcrup: 54. / 31. // non longè à Capite Dracon. Vmbræ diameter in ea cœli parte, quam Luna tenet grad: 1. ſcr: 33. / 18. // Lunæ diameter ſcrup: 35. / 58. // Latitudo Lunę Meridionalis aſcendens ad initium Eclipſis ſcru: 33. / 3. // Medium ſcrup: 27. / 43. // Finẽ ſcru: 22. / 21. // Digiti Ecliptici adnumerata etiam vmbræ portione quę Lunam excedit 12. ſcrup: 19. / 1. // Durabit horis 3. ſcr: 16. / 52. // Initium eius ſub meridiano Cracouien. (quem Atlantis huius doctrinæ Copernici, multorumque aliorum obſeruationes decorarunt) conſpicietur poſt mediam noctem hora 2. ſcr: 17. / 9. // Principiũ totalis obſcurationis hora 3. ſcru: 43. / 15. // Medium hora 3. ſcru: 55. / 35. // Extremum totalis obſcurationis hora 4. ſcrup: 7. / 55. // Finis hora 5. ſcrup 34. / 1. // Non conſpicietur tamen propter Solis exortum. Habes LECTOR Eclipſim Lunæ Tychonicis numeris deſignatam: opta vnà mecum, vt eam nobis cœlo ſereno liceat obſeruare. Vale.

Videbo cœlos tuos, Domine, opera digitorum tuorum, Lunam & ſtellas quæ tu fundaſti. Pſal. 8. 1616